



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Illud. Devotè visitaverint. parag. 2

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

quia tunc omnes faciunt unum moraliter, ut dictum est.

§. II.

Devote Visitaverint.

1. **D**Evote, inquit, quare licet in aliis dispositionibus, ubi non ponitur hæc vox (Devote) visitatio Altaris venialiter peccaminosa, V. G. cum vana gloria, vel ex vana gloria, sufficeret ad ponendam visitationem requisitam in illis Dispositionibus, de quo tamen est controversia inter Doctores, quæ legi apud Bellarminum *a* potest, tamen in casu nostro, saltem longe tutius, debet esse, sine ullo peccato visitare, visitare enim Altare cum inani gloria, vel cum immodestia, vel confabulando, vel ad finem aliquem, quamvis venialiter non bonum, devote certe visitare non est.

a Lib. 1. de Indulg. c. 3. q. 2.

2. Præterea, quia Pontifex dicit. *Sumentes Bullam mutaverint*, ideo hæc visitatio non potest exhiberi per alium, est enim opus injunctum Personæ.

3. Et duo quidem debet præstare Fidelis in hac visitatione. Primo, habere intentionem saltem virtuales visitandi ob finem à Pontifice requisitum. Secundo debet orare pro rebus ab eodem præceptis atque præscriptis, nempe pro Unione & Vittoria prædictis, sufficere autem si oret pro intentione Pontificis, mihi certum est, id enim jam est orare pro prædictis. Satis item esse orationem mentalem, diximus in simili supra, *b* licet addam (ut *c* Galleg. *f* advertit Gallegus *c*) rursus esse si addatur aliqua vocalis oratio.

b Sup. c. 8. c Galleg. f. c. du. 31.

4. Si brevis, seu exigua sit oratio, te diminutam, & orationi proportionatam Indulgentiam lucrari, putat idem Gallegus *d* in simili, citatque prole Nunnum. Profecto tutius erit, notabilem Orationem fundere, ad minus quinque Pater, & Ave, verum qui recitaret tantummodo unum Pater, & Ave, non condemnare, quia jam ponit, quod Pontifex præscribit, puta Visitacionem Altaris cum precibus. Et ita tenet Castropalaus, *e* docens sufficere Orationem minimam.

e Castrop. l. c. de Bull. p. 5. n. 3.

§. III.

An pluries possint hæc Indulgentia Stationum acquiri, repetendo, visitationes, & preces.

1. **P**OSSE, sustinet Trullench. *f* & probabile putat Gallegus, *g* quia quando Pontifex absolute & sine restrictione Indulgentiam concedit facienti opus aliquod, potest ea toties acquiri, quoties opus illud repetitur. Accedit, Privilegium Indulgentiæ, cum non sit in ullius præjudicium, ample esse Interpretandum.

2. Sed profecto ipsa Fidelium praxis, quæ semel sumpta Indulgentia uni diei addicta, non solent eodem die iterum eandem sumere, ostendit, Intentionem Pontificis non esse, ejusmodi iteratam acquisitionem concedere. Nō ita, si Indulgentia addicta temporis nequaquā sit, quales sunt Indulgentiæ affixæ Sacris nūmismatibus; tunc enim ipsi iidem Fideles pluries opera injuncta repetunt, quo pluries illas Indulgentias acquirant, ut in simili habent S. Thomas, *h* & Ludovicus à Cruce *i* cum h. S. Thomas aliis. Ratio autem disparitatis est illa, quia quando addicta uni temporis est Indulgentia, pro una vice, in eo tempore concessa videtur, at quando nulli temporis est addicta, non videtur determinata ad vicem unam.

3. Confirmatur, quia hic non acquiruntur nisi Indulgentiæ Stationū Romæ, quæ sunt, durante uno tantum die Ecclesiastico, id est à primis Vesperis usque ad Occasum diei sequentis. At certe determinatio temporis, tam brevis, ostendit (ut ex Suario notat Castropalaus *k*) intentionem Pontificis esse, ut singulis diebus una vice acquirantur, sive de die, sive de nocte exhibeatur visitatio, altero nimirum dante locum alteri ex multis illuc confluentibus.

§. IV.

An hæc Indulgentia Stationum applicari valeant pro Defunctis.

1. **P**OSSE hæc Stationum Indulgentias applicari pro Fidelibus Defunctis ex vi Bullæ, nimis est certum, quia id nimis manifeste conceditur in tenore Bullæ, dummodo ipsi iidem Fideles Stationes dictas visitent ex intentione pro Defunctis.

1. Hoc